



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De remorsu conscientiae, quo peccator cruciatur. Cap. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

nam terream, & in murum æneū aduersus omnes hostes animæ tuæ. Bellabuunt contra te, & nō præualebunt, quia te pœnitentem mutabo in virum alterum participem gratiæ, & fortitudinis meæ.

*De remorsu conscientiæ, quo peccator cruciatur.*

## CAP. X.

**F**lli nisi redieris ad me in toto corde tuo, arguet te ipsa malitia tua, & auersio tua increpabit te: nam per quę quis peccat, per hæc & punietur. Iustum iudicium est, vt peccator, qui dereliquit me Deum suum, sentiat intra se remorsum conscientiæ, & sollicitudinem nascentem ex timore mortis, & inferni. Iustum iudicium est, vt inter gaudia mundi prohibita, quibus delectari quærit contra legem meam, pungatur stimulo cordis gementis, & præuidentis damnationem suam. Terrores mortis militant contra peccatorem, quamuis gaudia quærat: neque potest esse pax impio, qui arguitur à conscientia propria, à qua fugere non potest. Hic remorsus nascitur ex peccato, quasi vermis ex ligno, & ostendit me

iustum iudicem esse, & peccatorem pro-  
 ditorem fuisse, qui paruo pretio vendide-  
 rit me. Hæc meditare, fili, & vide, quia  
 malum, & amarum est dereliquisse te  
 Dominum creatorem, & benefactorem  
 tuum, & non esse timorem eius apud te.  
 Nonne vides omnia tibi infeliciter succe-  
 dere quamdiu fugis me, & cum anxierate  
 animi te bibere de aquis turbidis Aegyp-  
 tiorum, cum possis per gratiam meam  
 reuerti in charissimam ciuitatem Ierusa-  
 lem, & potari aqua pura Iordanis, vbi po-  
 teris lauari, & super niuem dealbari? Qua-  
 re ergo resistis impulsibus amoris mei  
 vocantis, & inuitantis te ad amicitiam  
 meam? Projice à te, fili, quinque iuga bo-  
 um, quæ stulte emisti, & tolle gratis vnũ  
 & suauissimum iugum meum, vbi stimu-  
 lis conscientia non fatigaberis, sed inue-  
 nies requiem fatigatae animæ tuæ. Quære  
 serenitatem cæli, & pacem, quæ superat  
 omnem sensum; & requiesce ab ista soli-  
 licitudine, qua vexaris. Voca me, & re-  
 spondebo tibi subtilibus inspirationibus  
 meis, quæ gaudia vera generabunt, & se-  
 dabunt commota viscera tua. Ego te so-  
 labor, & loquar intus ad cor, si conuerta-  
 ris ad me; & confiteberis mihi in directi-  
 one cordis, cum adeptus fueris libertatẽ,  
 & quie-

& quietem, & alia pretiosissima priuilegia filiorum Dei. Sperne iam consilia negotiatorum mundi, qui lacerant viscera tua, & sequere vnicum, & saluberrimum consilium meum: & videbis quomodo ego dissipabo omnes machinas inimicorum tuorum, & creabo in te spiritum nouum, quo renouetur, sicut aquilę iuuentus tua, vt fruaris amabilissima pace, & securitate mea.

*De duritia cordis, quam peccator incurrit.*

## CAP. XI.

**I**ustus ego sum, & iustitiã dilexi: æquitatem vidit vultus meus. Peccator repulit me, & repugnauit innumerabilibus inspirationibus meis, quibus ego volebã emollire cor eius. Et idcirco ego repello eum, & prohibeo pluuiam meam ne stillet super illum. Ego i-uitaui Pharaonem per externa prodigia, quæ feci per manũ Moyſi serui mei, & per internas inspirationes, quas ille infœlix peccator sensit: sed cum repugnaret grandi misericordiæ meæ, permisi obdurari cor eius supra sili-  
cem, & supra durissimas petras, donec persequeretur Israel populum meum, &